

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Alberti v. Haller Domini In Goumoens Le Jux Et Eclagnens.  
Præsidis Societatis Reg. Goettingensis ... Primæ Lineæ  
Physiologiæ In Usum Praelectionum Academicarum**

**Haller, Albrecht von  
Lausannæ, MDCCLXXI.**

**VD18 11701269**

Cap. XXVIII. Uterus Virgineus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17141**

pore *erectores penis*, ut vulgo vocantur, ab ischii osse supra tuber orti, valentes, inserti in corpora cavernosa, penem in media quadam inter perpendicularem & transversalem directione sustinent. Ita semen in vaginam, vel in ipsum demum uterum, in secundo congressu pellitur. Hæc actio vehementissima est, & convulsioni proxima, hinc mire debilitat, & late systemati nervoso nocet potissimum, ut videntur mala inde nascentia indicare, ex nervorum affectione, absque qua semen expelli nequit.

## CAP. XXVIII.

## UTERUS VIRGINEUS.

DCCCXLII. *Uterus muliebris* sedet in pelvis parte superiori, ut ante se vesicam, retro intestinum rectum habeat, ab utroque liber, & ostio suo paulum antrorsum declinet. In adulta muliere pelvi comprehenditur, infanti superat. Peritonæum ab osse pubis in feminis in pelvim descendit, & retro vesicam longe ad ima uteri migrat. Inde secundum uterum adscendit, & trans eundem secundo descendit, ad vaginam & hujus sedem transversam usque admotum, unde, lunatis plicis intestinum rectum comprehendens, nihil porro a virili fabrica diversum habet. Sed idem peritonæum a



## 492 UTERUS VIRGINEUS.

vasis iliacis in pelvim veniens, & utero latius, ad eius latera & ad vaginam adnatum, inque se ipsum redeuns, septi modo pelvim in duas regiones dividit, anteriorem & posteriorem, & vocatur *latum ligamentum* uteri. Idem utero accurate nectitur, absque adipe medio, ut ipsi undique pro externa membrana sit. Non intercedit quin totus uterus mobilis sit.

DCCCXLIII. Uteri solemus corpus a cervice distinguere. Corporis figura ea est, ut anterius & posterius convexus sit, cum planitie, margines in concursu eorum planorum acutos habeat, lineas, supremam modice convexam, laterales convergentes. Fabrica peculiaris, ex densa, stipata, duriuscula, succulenta tamen cellulosa tela est, in qua fibrae musculares, maxime in puerperis adparent, planae inter se invicem reticulatim commissae, aliae longitudinem uteri secutae, a fundo ad os uteri, varie in circellos dispositae, imprimis in fundo uteri interque tubas, tum in cervice ad ostium. In bestiis uterus manifeste musculosus est, & in homine etiam naturae contractilis signa edit manifesta. Externam tunicam ipsum ei peritonaeum praestat. Sinus mucosos, ramosos, in carne uteri varie divisos, nunc post repetita experimenta, non invenio, sed venas cellulositae cinctas, quarum diametri se sustinent. Membrana uteri interna continua epidermidi, ad cavi-



UTERUS VIRGINEUS. 493

tatem uteri pulposa breviter flocculenta, in cervice callosa, valvulosa. Cavitas uteri exigua est, fere triangula, sed lineis introrsum convexis deinde ex cylindro compressa. Hæc pars, quam *cervicem uteri* vocant, cylindrica, compressa, crassior, intus cylindricam pariter caveam habet. Ea tota aspera est, rugis callosis, in aciem extenuatis, quæ ad vaginam inclinatur, ab anteriori & posteriori linea ad latera recedunt, & per minores rugas conjunguntur, in quarum intervallis sinus mucosi sunt, uti passim rotundæ bullæ, pellucidissimo plenæ liquore, in superiori parte cervicis uteri reperiuntur, vario numero & mole. Non rarum est, uterum media eminentia dividi. Cervicem terminat os internum uteri, transversa rima, tumidis labiis comprehensa, in vaginam eductum, ejusque cæco fine susceptum, oblique in eam & antrorsum prominens. Plenum cæterum mucos, & sinus in tumente labro mucosis.

DCCCXLIV. Uteri pars triangula ex suis angulis lateralibus educit canales, complicatos cellulosæ telæ ope, sensim latescentes, proxime finem paulum contractos, directione primum transversa, ad ovarium tendente, deinde descendente, cum varietate tamen, *tubas* vocant. Externa membrana a peritonæo est, cum in duplicatura lati ligamenti sedeant, interna rugosa, pene reticulata, mucosa, procurrit longior, in



## 494 UTERUS VIRGINEUS.

disperfas, per longum plicatas, lacinias, quæ late orificium tubæ coronant, & ovario connectuntur. Inter duas membranas aliquid spongiosi, cellulosi est, sed tenerius quam in deferente ductu. Mucum continere solent, non certæ originis. Vasorum vero vis magna, & forte aliquæ musculares fibræ interponuntur, sed istæ obscuriores. Propria plica peritonæi sustentantur, quæ ex ligamento lato exit.

DCCCXLV. Sed *ovaria* in eodem ligamento lato, in ejus duplicatura comprehensa, retro tubas, transversa sedent, cum iis tubis lati ligamenti propria expansione conjuncta, ita longa, ut libera sint, oblonga corpora, utrinque compressa, linea libera convexa, semielliptica, ea vero, quæ ad ligamentum firmatur, recta. Membrana, quæ est a peritonæo, crassa est, & pene cartilaginea. Fabrica satis uteri fabricæ similis, stipata, alba, cellulosa, absque adipe. Margo ligamenti lati, ab utero recedentis, ut ovaria sustineat crassior, aliquid solidiusculi habet, similis ligamento, non tamen cavus nec verus canalis.

DCCCXLVI. Sed in ovario, etiam teneræ virginis, sedent bullæ rotundæ, membrana pulposa, firmula factæ, cellulosis filis undique ad ovarium adnexæ, quæ coagulabili lymphâ replentur, incerto numero, ad quindecim in uno ovario, & ultra, neque ejusdem magnitudinis, memorabiles



UTERUS VIRGINEUS. 495

particulæ, quæ latissime per omnia animalia, etiam ea reperiuntur, quæ unicum femur habent.

DCCCXLVII. Denique uterus ex iisdem lateralibus angulis trianguli, antrorsum fasciculum mittit, cellulosis fibris longioribus, & vasculis factum, qui in progressu angustior, pelvi exit, & per anulum abdominalem (DCCCXII) in inguen venit, ubi ramosus finditur, in vascula solutus, quæ cum epigastricis conjunguntur. An etiam longas fibras habet, ab utero propagatas? Non fatis certo video.

DCCCXLVIII. *Vasa uteri arteriosa* sunt ab hypogastricis, quarum ramus insignis uterinus, inæ vesicali virorum similis, aut a trunco umbilicali prodit, aut proxime sub eo trunco: Ea, utero, vesicæ, & recto intestino datura, ad inferiora uteri accedit, in fine fere cervicis: & sursum eundo ad uterum transversos flexuosos ramos edit, numerosasque anastomoses cum *spermaticis* habet, & arterias tubæ sæpe ipsa edit. Alter plexus ramorum deorsum ad vaginam tendit eam longe secutus: etsi alias propria est vaginalis arteria, perinde in pelvi nata, & rami a mesocolica aliquando accedunt. Et feminalia quidem vasa, simili sunt, ut in viris, ortu, plexuque pampiniformi, sed trans psoam musculum in pelvim descendunt, atque in duos plexus finduntur. Posterior ovarium ipsum multis furculis adit,



## 496 UTERUS VIRGINEUS.

cincinnatis, per ejus carnem & ipsa ova distributis. Anterior & tubæ dat, & ad uterum descendit, & in eum flexuosis ramis sursum deorsumque, non sine ramis ad vesicam, dividitur. Alia *hæmorrhoidæ media*, a trunco pudendæ communis, longe cum vagina antrorsum venit, ad eam, & ad vesicam, & ad rectum intestinum distributa. Vagina præterea extrema & clitoris arterias habet ab hæmorrhoidæ externa, & clitoris quidem arterias similes arteriis penis, & profundas, & superficiales nacta est, pariter cum ramo a vesicali inosculatas.

DCCCXLIX. Venæ uteri arteriarum in univèrsam similes sunt, ab hypogastricis truncis natæ, tum internæ uterinæ vaginales, hæmorrhoidæ mediæ, tum externæ circumflexæ clitoridis. Insignem vero utrinque plexum efficiunt, qui latera vaginæ infra clitoridem occupat. Sub ea cum sodali alterius lateris continuo plexu conjunctus. Et plexus ab hæmorrhoidæ externa, & a vesicalibus conjunctus, clitoridem adit, ut penem. Valvulas non habent, nisi paucas in spermaticis. Eæ etiam maximo fasciculo ovarium adeunt, & alas vespertilionis.

DCCCL. Intra ipsum uterum arteriæ in ramos exhalantes ad internam caveam terminantur, quæ per puerperium in anguilulas productas pendulasque abeunt. Sic venæ uteri eodem tempore magni sunt si-



UTERUS VIRGINEUS. 497

ius, enormiter nempe auctæ venæ, maximis ostiis in caveam apertæ.

DCCCLI. Lymphatica vasa in utero brutorum animalium visa sunt, in humano rarius: magnis tamen viris.

DCCCLII. Nervi sunt a plexu mesocolico infimo cum sacris uniti, qui vesicam, uterum, rectum intestinum magnis ramis adit. Aliqui etiam per ligamentum latum ad ovarium veniunt, alii a nervo comite vasorum clitoridis, qui est ab ischiadico trunco. Sed etiam ovarium proprios a plexu renali nervulos habet, quales in viris testem adeunt. Ita omnia hæc organa, ob nervorum numerum, valde acri sunt sensu.

DCCCLIII. Quæ descripsimus, ea omni aetati communia sunt. Verum sub annum decimum tertium, vel paulo serius, quo eodem fere tempore semen virile generari incipit, nova etiam in feminis mutatio producit. Novo enim tunc nixu sanguis omnis in puella incitatur, mammæ efflorescunt, & pubes, & eodem tempore *men-*ses fluere incipiunt; communi naturæ lege, etsi in diversis regionibus tempus & copia fluentis sanguinis alia est, & alia.

DCCCLIV. Ante hunc fluxum molimina varia in lumbis, dolores gravativi, etiam colicis similes cum incitato pulsu, cephalalgia, pustulæ cutanæ præcedunt, & albus plerumque succus de utero manat. Nempe vasa flocculenta uteri, quæ hæc-



## 498 UTERUS VIRGINEUS.

nus lac aliquod, in fetu albissimum, in puellis serosum, in uteri caveam deposuerant, ea nunc incipiunt sanguine turgere, denique ipsum rubrum cruorem in uterum exhalare. Id per aliquot dies fit, remittunt interim incommoda priora, & sensim contracta vasorum uteri ostiola solitum nunc serum stillant. Sed intervallis in virgine tenera incertis, sensim autem ad quartam septimanam exeuntem contractis, redeunt eadem molimina, succedit idem sanguinis fluxus, & periodus ea ad quinquagesimum pene annum repetitur. Multum tamen hic potest diæta, regio, temperies. Graviditas mensium facit plerumque vacationem.

DCCCLV. Hunc sanguinem ex ipsius uteri vasis deponi, demonstravit autopsia in feminis, eo fluente extinctis; in vivis mulieribus, quibus uterus inversus sanguinem ex ostio interno destillavit: in aliis, quibus, cum menses deficerent, uterus sanguine congesto plenus fuit: natura uteri vasis plenissima mollis, spongiosa, comparata cum tenui, minime flocculenta, callosa vagina. Bonum vero in sana femina & munda sanguinem esse, ipsa etiam observatio declarat. Nihil tamen intercedit, quin utero inpedito sanguis per vaginam deponatur, ut alias per ultimum intestinum, & per remotissimas demum corporis partes deponitur.



UTERUS VIRGINEUS. 499

DCCCLVI. Cum nullum animal, fatis certo, menses patiat, similes humanorum etsi aliqua sanguinem de genitalibus sub tempora annuæ veneris stillent, & cum masculum corpus ab ea periodica excretionem liberum sit, valde omni tempore quæsitum est, quæ causa sit hujus hæmorrhagiæ, humano generi, & sexui feminino, propriæ. Lunam adtrahentem, quæ ipsum mare elevet, ab omni tempore accusaverunt: alii liquidum acre, stimulant, in partibus muliebribus secretum, quod idem causa sit libidinis veneræ. Sed a luna fieri repugnat, quod nulla dies sit, qua plurimæ feminæ menses non patiantur, neque pauciores in apogæo, quam in perigæo. Fermenta circa uterum frustra quæras, ubi omnia blanda, & mucosa sunt, neque venus, quæ omnes eos liquores expellit, aut minuit menses, aut auget intermissa: negantque feminæ, quando menses instant, sibi libidinis esse incrementum, cum plurimæ potius varie doleant, aut langueant: & sedes sensus venerei in aditu magis pudendi est non in utero, qui menses tamen fundit. Et denique menstruum sanguinem a causa aliqua sanguinis motum contra vasa incitante cieri, vel id docet, quod retentus per omnia alia corporis organa, ubi nulla fermenta vellicarent, ruptis etiam venis, erupisse visus sit, neque effectus re-



500 UTERUS VIRGINEUS.

tenti sanguinis partibus venereum humorem fundentibus circumscribatur.

DCCCLVII. Feminæ in univcrsum mollius corpus a natura datum est, firmæ partes minus elasticæ, muscoli ipsi minores, & plus adipis lacertis interest, & ossa teneriora sunt, & minoribus processibus aspera. Deinde feminis pelvis amplior est, omni mensura, ossa ilium a se invicem remotiora, & sacrum os ab ossibus pubis retrorsum magis aversum, & ossa ischii longiori linea separata: inprimis tamen angulus, ad quem ossa pubis conveniunt, multo major, quæ discrimina maximorum virorum observationibus, & ex ipsa necessitate confirmantur, quæ pro pluribus in pelvi visceribus majus spatium poscit. Porro arteriæ uteri peramplæ sunt, & majores quam in viris, & majorem earum lumen ad suas membranas rationem habet, suntque pro venarum portione laxiores: venæ vero pro arteriarum portione minus latæ, quam in viris, & eadem denique firmiores, quam alibi in corpore humano. Inde primum fit, ut sanguis in feminis per laxas & amplas arterias uberius & celerius in uterum adveniat: inde, ut ob venarum duritatem & angustiam difficilius de utero redeat, nempe vasa uteri distendat.

DCCCLIX. Puellæ, quæ nunc nascitur, artus inferiores exigui sunt, sanguinis arteriæ iliacæ maxima pars in umbilicum abit,



UTERUS VIRGINEUS. 501

exigua pelvim subit. Hinc pelvis ipsa parva, parum cava, & vesica, atque ipse uterus, & ovaria supra pelvim eminent. Edito vero in lucem fetu, & ligata arteria umbilicali, sanguis iliacaë arteriaë omnis & in artus inferiores, & in pelvim descendit; crescunt & illi, & pelvis, profundior ea fit, & latior, & in eam sensim uterus & vesica se recipiunt, neque periinde ab intestinis & a peritonæo premuntur, dum muscoli abdominis inferiorem partem ventris constringunt. Quando nunc perfectum incrementum est, aut perfecto proximum, tunc arterias uteri, & pelvis in universum maximas reperimus, quæ in fetu minimæ fuerant, & ad recipiendam ceram anatomicam faciles, & ita mutata omnia, ut hæmorrhoidæ arteria nunc pro trunco hypogastricæ sit, (DCCCXXXVI) cum prius umbilicalis ejus arteriaë truncus fuisset. Plus ergo sanguinis eo tempore in uterum, inque vaginam, & clitoridem advenit, quam prius solebat.

DCCCLX. Eodem tempore, quo incrementum totius corporis insigniter diminutum est, & sanguis in bonis visceribus, integerrimo adpetitu, plurimus paratur, in utroque sexu humano plehora nascitur, quæ in virili quidem per nares frequentissime expurgatur, dilatatis ita vasculis exhalantibus membranæ pituitariæ CCCCLVIII ut sanguinem ipsum destillent, cæterum &



502 UTERUS VIRGINEUS.

feminis nunc primum secretio urgetur, & barba pullulat. In feminis eadem plethora aliam faciliorem viam invenit, quod ipsum pondus eo sanguinem ducat, & uteri vasa nunc demum ampla, laxo loco in succulenta & molli cellulosa fabrica uteri posita, hinc facile extensilia, flocculis mollissimis exhalantia, in vacuum uterum pateant, in quæ vascula facilior pene, quam in venas sodales, sanguini sit transitus: cum in iisdem feminis capitis arteriæ & duriores & pro portione minores sint. Lentescit eisdem ex utero reditus, tum quod arteriarum alioquin serpentine flexus ab aucto sanguinis adfluxu etiam magis fiant serpentine, motuique sanguinis morando idonei: tum quod nunc difficulter per venas redeat. Ergo primum sanguis in vasis uterinis colligitur, tunc, etiam per experimenta, intumescit, deinde in lumbalibus, & aorta ipsa. Inde, cum novum torrentem sanguinis cor ad vasa jam distenta mittat, denique vis vasculis uteri serosis infertur, ut muco primum copioso calido, deinde rubello sero, denique sanguine stillent. Eadem sanguinis ad partes genitales determinatio, expellit latentes hactenus pilos, auget clitoridem, plexus cavernosos vaginæ dialatat, adpetitum veneris facit. Auget vero copiam mensium, præcipitat initia, id omne, quod sanguinis in univèrsam copiam



UTERUS VIRGINEUS. 503

auget, & ad uterum peculiariter determinat, lætitia, libido, pediluvia, victus lautior, cælum calidum, temperies corporis vivida. Minuunt, quæ plethoram, motumque sanguinis perinde minuunt, inedia, moeror, cælum frigidum, inertia, morbi prægressi.

DCCCLXI. Donec uncis sex vel octo sanguinis emissis, liberatæ nimio sanguine arteriæ vim elasticam exferant, ut omnes arteriæ solent, & contractis diametris, solum, ut prius, tenuiorem liquorem transmittunt. Sed iterum, per easdem causas renata, ea copia sanguinis, quam emisit uterus, per easdem hic vias, potius quam alibi, excernitur. Neque quærenda causa est, quare hæc periodus ad mensem fere fixa sit. Ea enim pendet a ratione, quæ est inter copiam & inpetum collecti sanguinis, & uteri resistentiam, sensim demum cessuram. Hinc citius hæc sanguinea crisis redit, neque menstruum intervallum expectat, quando copia sanguinis major in plethoricis, in libidinosis, ad uterum determinatur. Desinunt autem omnino fluere, quando uterus, perinde ut reliquæ omnes firmæ partes corporis, eam duritatem adsecutus est, quæ a vi cordis sanguinem arteriosum impellente superari nequeat. Eam duritatem in utero, ejusque arteriis, & ovariis, ipsum scalpellum, & injectio de-



## 504 UTERUS VIRGINEUS.

tegunt. A brutis animalibus in univcrsum menses abfunt, ob uteros membraneos ex-carnes, & firmiora vafa, quæ faciunt, ut nulla naturalis hæmorrhagia narium, aliave, in his animalibus unquam locum habuerit. A viris, quod nullum in pelvi organum nacti funt fpongiofum & reti-nendo aptum fanguini; tum quod arteriæ pelvis viris & duriores pro portione vena-rum funt & minores, inpetus adeo fanguinis in arterias artuum avertatur, quorum etiam majora viro incrementa funt, ut in pelvi minora.

DCCCLXII. Quare eadem ætate mam-mæ efflorefcunt? Earum fabrica multa cum utero communia habet, ut adparet ex lactis in mammis fecretione, quæ expulfo fetui fuccedit, & a lochiis auctis aut diminutis aut minuitur, aut augetur: ex fimilitudine liquidi ferofi in utero reperti cum lacte fe-minæ non lactantis, tenui & albido, quæ in brutis animalibus evidentiſſima eſt: ex erectione papillæ a frictu, analoga erectioni clitoridis. Eædem ergo cauſæ, quæ uteri vafa diſtendunt, fanguinem etiam uberio-rem ad mammæ determinant, cujus præ-pondii effectus eſt incrementum glandulæ conglomeratæ mammæ, & adipis cir-cumpoſiti.

\* \* \*

CAP.



## C A P. XIX.

## C O N C E P T I O.

DCCCLXIII. Difficillimo hic labore defungimur, perscrutaturi, quid fiat in feminæ intimis, ut novi hominis in ea vita incipiat germinare, quem suo tempore in lucem edat. Enarrabimus ergo primum, de quibus vere per experimenta constat, addituri denique hypothesès, quibus Cl. viri ea sunt conati subplere, quæ res ipsa non docet. Quam pauca vero capta sint, & quam difficilia captu, nimis experiendo didici.

DCCCLXIV. Ut aliqua in tenebris lux adfulgeat, incipiemus ab animalibus simplicissimis, subinde addituri, quæ natura in aliis addat, quorum magis composita fabrica est. Minima ergo animalia, quorum paucissimi, nullive artus sunt, partium discrimen paucissimum, vita brevissima, functiones vitæ & paucæ & sui simillimæ, ea animalia fetus sui similes pariunt, nullo cum sexus discrimine, ut omnia fecunda sint, nullum fecundet. Eorum aliqua per rimam aliquam sui corporis fetus edunt, quos in suo corpore conceperunt: de aliis artus aliqui decedunt, qui in similia animalia complentur, eo-

Y